

2.

Otto III. bestätigt den aufgezählten Güterbesitz der Domcanoniker zu Florenz. 998, Juli 6., Pistoja.

C. In nomine sanctae et individuae trinitatis. Tertius Otto divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si sanctarum aeclesiarum Dei curam gerere imperialiter studuerimus, statum imperii nostri stabilius || permanere et eterne remunerationis nos accepturos bravium minime dubitamus. Proinde omnium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque fidelium presentium et futurorum comperiat sollertia, interventu nostri fidelissimi capellani Warini canonicos sanctae Florentine aeclesiae nostram adiisse clementiam deprecantes, ut pro Dei amore nostrique imperii salute Sancti Iohannis ecclesiae eorumque necessitatibus subveniremus. Quorum dignis petitionibus annuentes, prout iuste et legaliter possumus, concedimus et per hanc nostre auctoritatis paginam confirmamus eisdem clericis terram eiusdem canonice cum omni sua integritate, nominative plebes duas: unam de Cersino Sanctae Ierusalem cum curte sua, alteram Sancti Laurentii sitam Exinea cum curte sua, terram de Lago, quam dedit Sichelmus episcopus, cum omnibus suis pertinentiis, que est infra plebem Sancti Petri in Valea et Sancti Severi, curtem de Centauria cum pertinentiis suis, Campum Regis, Pratum Regis, mansos duos in Carmeni-ano, medietatem sortis que est in Venzano, mansum unum in Decera, Sanctam Mariam Novellam. Eo videlicet ordine, ut tam presentes quam futuri sacerdotes, levite, subdiaconi, seu cleri¹⁾ ibidem Deo Sanctoque Iohanni deservientes iam dictas terras canonice iuste pertinentes per huius nostri precepti auctoritatem habeant, teneant firmiterque possideant omnium hominum contradictione remota. Precipientes itaque iubemus, ut nullus episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes nullaue nostri regni magna parvaue persona pretaxatos canonicos de predictis rebus disvestire, inquietare vel molestare presumat sine legali iudicio, sed liceat eos quiete et pacifice sub nostra defensione vivere omnium hominum contradictione remota. Si quis igitur huius nostri precepti paginam infringere temptaverit, sciat se compositurum auri optimi libras centum, medietatem kamere nostre et medietatem predictis canonicis. Quod ut verius credatur diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria confirmantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Ottonis (M) invictissimi imperatoris augusti.

Heribertus cancellarius vice Petri Cumani episcopi notavi.

Data II Nonas Iulii anno dominice incarnationis